

Ann. 1  
Fasc. 1  
m. Octobri  
a 1938

# LYGIA

Rok 1  
Nr 1  
Październik  
1938 r.

---

## COMMENTARII SOCIETATIS LINGVAE LATINAE Usui Internationali Adaptandae CZASOPISMO TOW. UMIEJDZYNARODOWIENIA ŁACINY

---

**Aedes moderatoris:** Varsoviae, ul. Trauguttą 3 m. 5 || **Adres Redakcji:** Warszawa, ul. Trauguttą 3 m. 5

**Za Komitet Redakcyjny:** Prof. Dr Juliusz Krzyżanowski. **Wydawca:** Franciszek Banasiak

---

455547

Ut quondam validis Ursi servata lacertis  
Coniunxit nostram cum Latio patriam,  
Nunc grates solvens adscitae coniugis urbi  
Romanam linguam nuncupat illa globo.

J. K.

THADDAEUS ZIELIŃSKI

## LECTURIS QUOTQUOT ERUNT S

Modestius, quam fas erat et postulare licebat, vocem tollit Polonia, ut ipsa quoque Almae Matri Latinae periclitanti quam potest opem ferat. Scimus enim omnes non per ipsam stesisse, ut illa nominis materni honorem, quem per tot saecula nemine obloquente retinuerat, gliscente filiorum ingratitude amitteret; qui adeo, ut fieri solet, rapta matris ornamenta ne cum fratribus quidem minoribus communicare sunt ausi; immo pro legitima parentis imperio nulli invidiae obnoxio primo monarchiam quandam tyrannicam, postmodo vero oligarchiam etiam minus ferendam instituerunt.

Sero tandem ad pristinos mores redeunte hominum voluntate quasi tubae cujusdam edita est vox, a dolenda dispersione ad illam quae olim fuerat concordiam audientes convocans; tunc vero fas erat sperare, prout quisque ultimus invilitissimusque cogente hominum inscitia illa signa reliquisset, pronissimo eum libentissimoque animo antiquae coniunctionis pignora arrepturum esse. Quid quaeris? Inter multas alias haec quoque nos spes fefellit. Molliora quippe imbecillioraque facta sunt hominum ingenia, quam ut severae matris arbitrium ferre possint; qui si salubri eius disciplinae vel tantillam temporis particulam navare voluissent, quod nunc totum enervantibus mentis oblectationibus dedicant, nullum extare potuissent, prae antiquae pulchritudinis studio, hebetioris pappae desiderium, quae dum vanae facilitatis specie imperitorum animos ludit. in posterum infelicem vacui sensum deceptis relinquere parat. Placuit tamen gregibus multitudine quam ingenio spectabilioribus; habuit triumphos suos et habebit, donec circumvoluto orbe ipsa quoque ad nihilum redacta inanes infructuososque mentis humanae nisus auxisse iudicabitur.

Quid nobis interea faciendum est? — Equidem paucitate nostra interritus haec pronuntiare audebo. Non piget neque unquam pigebit nos, licet obstrepentibus cunctis, debilem eamque fidelem vocem emisisse,



8792

478

quae si nunc parum ad persuadendum valuisse videbitur, non tamen olim abiecta et irrita iacebit. Quod quo sensu accipiendum sit, fabula docere conabor — si modo fabula dicenda est, quae vim suam fide speque et amore nisam in omne aevum praestandam portendat.

Meminimus multi nostrum de imperatore quodam Romano famam nos legisse vitam ultra mortalium hominum terminos propagante. Non illum iusta mors civium consortio abripuit; immo vivum gremio suo Terra recepit intimaque montis cuiusdam caverna abscondidit. Vivus ibi, etsi morti quam vitae hucusque propior, mensae marmoreae tamquam cenaturus assidet. Multa iam saecula sedenti praeterlapsa sunt, tabulam barba dormitantis percrevit; nec tamen adeo eum altus occupavit somnus, quin subinde, quasi interiore voce excitatus, oculos attollat armigerumque — nam etiam armigerum ei fabula concessit — ita ferat compellet: Vade foras, care, diligenterque circumspice, an nunc quoque corvi obsceno crocitu montem nostrum circumvolent; nisi enim cessaverit importuna eorum vox, non est mihi fas hinc exire, aliusque incertae occasionis expectandus est terminus.

Et haec est condicio nostra. Temptavimus, an prosperum de obmutescentibus corvis nuntium imperatori nostro afferre possemus; quod si minus nobis contigit, fidele tamen civium officium explevimus posterisque eadem temptaturis reliquimus, donec cessante et oligarcharum et usurpatorum iniuria ad verum legitimumque imperium reccidat.

Dabam Varsoviae Id. Jul. a. D. MCMXXXVIII.

## PRAEFATIUNCULA MODERATORIS

Tempore, quo globum nostrum inventis artium technicarum in diem magis magisque contrahi sentimus, praeter spem resurgit lingua iamdudum cognomine mortuae baptizata, ut heredium suum non ita pridem amissum vindicet hominesque propiores sibi redditos unius linguae commercio artius coniungat. Aliam ex alia terram ideae linguam Latinam in honorem linguae internationalis promovendi accedere quotidie legimus. Passim societates, passim ephemerides Latinae oriuntur. Ne Poloniae quidem societas eius generis defuit: immo iam aliquot abhinc annis condita Varsoviae viget, sed obmutescebat proprio organo privata. Ad quam lacunam explendam nostra Lygia timide prodit, ut sodales nostrae societatis de eis, quae domi forisque in „mundo Latino“ agantur, certiores faciat, ceterorum autem animos conciliat alliciatque. Propius ideam „Latinae Intern.“ hic adumbrare supersedemus, utpote quod infra argumento egregiae dissertationis a Dre Wieniewski habitae factum est. Nolumus nostrae Lygiae „incerti spatium aevi“ divinare nec quotiens prelo relicto in lucem proditura sit. Per Vos, socii atque fautores nostrae societatis stat, quominus admittatis, ne illa modo resurrecta iterum obeat. Itaque lectores nostros hortamur ardentemque invitamus, ut ordines nostrae societatis augeant et chartas „Lygiae“ fructibus sui ingenii ornent.

Cuius praefationis finem facientibus non praetereundum est insigne meritum Il. Dom. Francisci Banasiak, moderatoris Poloniae Armiferae, socii atque custodis thesauri (sitvenia verbo) nostrae societatis, qui sua gratia et auctoritate plurimum ad hanc editionem adornandam valuit eique pro ea opera hic gratias agimus maximas.

# DISSERTATIO PUBLICA DE LINGUA LATINA UNIVERSALI RESTITUENDA

Idibus Martiis huius anni, in sede Varsoviensi Instituti Italici Cultus, *dr Ignatius Wieniewski*, Societatis nostrae praesidis vicarius, dissertationem habuit publicam „de lingua Latina ad usum internationalem revocanda“. Quam dissertationem hic breviter relaturi sumus.

Quin cultus atque humanitas totius orbis terrarum artius artiusque connectantur, vix quisquam dubitare potest. Sed quae illam cultum illam que humanitatem exprimentur linguae, plurimae sunt neque multiplicari desinunt. Gentes enim, quae superioribus saeculis minime ad litteras, artes disciplinasque colendas valebant, nunc multum ad eas res afferunt, sermones vernaculos semper adhibentes idque permagni momenti existimantes. Quae „anarchia linguarum“ (ut illius Antonii Meillet grammatici voce utar) — tantopere pro iure nationum probanda — est tamen gravi impedimento consiliis inter homines variarum gentium communicandis. Sermonem igitur eligi necesse est, qui ab omnibus hominibus cultis ubique terrarum intellegatur, sermonem internationalem dico. Quod cum plerique probent, dissentiunt tamen in hac lingua universalis designanda. Sunt, qui sermonem quendam horum temporum — Francogallicum vel Anglicum vel Germanicum — eas partes ferre debere putent. Hi quidem errant. Neque enim gens ulla invenietur, quae aliam gentem tanto honore extolli patiat. Sequiturne, ut lingua arte facta (ut ex gr. *esperanto*) sit adhibenda? Minime. Nam duabus de causis omnis lingua huius generis non est digna quae lingua vocetur. Primum Wundti clarissimo opere „De gentium psychologia“ instructi non ignoramus linguam naturae modo, sicut plantam, et nasci et crescere; arte igitur fieri nullo pacto posse. Deinde lingua non solum instrumentum quoddam est sententiarum communicandarum, sicut signa optica, telegraphus, motus surdorum mutorumque, sed etiam certi populi ex cultu orta sit atque hunc cultum exprimat necesse est. Quod non esse proprium „linguarum“ artificiosarum manifestum videtur. Denique harum „linguarum“ multitudo ad conciliandos sibi animos minime est idonea. Satis est enim praecipuas enumerare, ut *esperanto*, *ido*, *occidental*, *novial*, *interlingua*, *basic english*...

Opus est igitur lingua naturae modo orta, quae nullius populorum, qui nunc sunt, sermo sit. Nonne talis lingua existit? Immo viget. Nam lingua Latina usque ad XVIII saeculum eaque internationalis florebat, cum in rebus ad cultum pertinentibus adhiberetur, id est in Ecclesia Romano-Catholica, in ratione civili, litteris artibusque, scientiis nec non in elegantiorum hominum commercio. Sed et postea lingua Latina nunquam „morta“ fuit atque hodie quoque non solum in Ecclesia sed etiam in variis disciplinis (ut iurisprudentia, medicina, historia naturalis) vivere pergit. Nimirum igitur in nonnullis gentibus cultus Latini homines reperti sunt, qui hunc sibi finem proposuerunt, ut sermonis Latini usus internationalis in integrum restitueretur. In primis autem in Polonia, cuius cultura semper Romae antiquae ingenio imbuta fuit, conamina illa magis magisque strenua ac manifesta fiunt.

Linguae Latinae ad usum universalem revocandae adversarii argumento utuntur hoc: non esse illam linguam ad varias horum temporum notiones rerum, quae Romanis antiquis ignotae fuerint, exprimendas

aptam. Recte illi quidem. Quam ob rem sermonem Latinum, ut internationalis fieri possit, verborum novorum copia instrui necesse est; ceterum haec verba, ut ex. gr. telephonus, maximam partem Graeco-Latinae sunt prosapiae. Quae res nequiquam Latinitatem corrumpat neque eius salubritari detrimento sit. Flexio enim et syntaxis et stylus, omnia integro sermone servando gravissima, incorrupta permanebunt. Quod autem ad illa horum temporum verba attinet, neque Cicero neque Rej noster noverant, quid esset carrus automobilis, aeroplanus, radiophonia, cinematographus, crisis parlamentarismi, monopolium tabaci, cubismus, dadaismus. Lingua Polonica hodierna cum ea verba accepisset, Polonica esse non desiit. Eadem sermonis Latini ratio erit. Quem igitur internationalem restitutum semper purum atque „classicum“ permansurum esse certum videtur. Ceterum *Humanismum* in memoriam nostram revocemus: nunquam ab imperii Romani occasu lingua Latina tam pura tamque salubris fuit, quam illis temporibus, cum universalis et viva in hominum cultorum commercio florebat.

Existit tamen quaedam quaestio difficilior, quo modo ratio instituendi in scholis mutanda sit, ut discipuli non solum Latine legant, sed etiam scribant atque loquantur. Ad quod ut perveniatur, non alius docendi modus necessarius esse videtur, nisi hic ipse, quo in linguarum horum temporum institutione utimur.

Quae cum ita sint, videamus, quo modo consilia linguae Latinae ad usum universalem revocandae in mundo perficiantur. Italis, Germanis, Polonis, Hungaris, Hispanis, Francogallis, Americanis, societates sunt vel saltem periodica, quae ideam illam fovant. In primis Institutum Studiorum Romanorum (L'Istituto di Studi Romani) sub auspiciis Regis Italorum Ducisque Mussolini Romae florens atque Societas Latina Monacensis, quae periodicum suum edit, strenue agunt atque multa felicissime assequuntur.

Quod ad Societatem nostram Polonicam anno 1933 constitutam attinet, illa quidem commercium cum externarum gentium nostratibusque sive magistratibus sive societatibus sive singulis civibus auctoritate fruentibus appetit, ut linguae Latinae usus internationalis agnoscatur imprimis in rebus ad cultum communem spectantibus, id est in scientiis, artibus, ratione civili. Deinde elaborat, ut haec consilia et in Polonia et extra eius fines propagentur. Tum rei scholasticae cum moderatoribus agit, ut in linguae Latinae institutione naturae eius, ut linguae etiamnunc vivae, ratio habeatur. Denique cum Ministerio Rerum Externarum actura est, ut propositiones Polonicae eodem tendentes auctoritatibus internationalibus subiciantur.

Notandum est in sociorum nostrorum numero non solum philologos esse, verum etiam medicos, iurisconsultos, scriptores diurnariosque, historicos, magistros, sacerdotes etc. Itaque linguae Latinae internationalis restituendae idea a variis civium cultiorum generibus non aliena esse videtur.

Orator finem loquendi fecit, cum se sperare confessus esset laborem linguae Latinae fautorum neque vanum neque irritum fore.

Orationem a frequentissimis auditoribus multiplici plausu acceptam disputatio secuta est, in qua praecipue pauci esperantistae argumenta sua eis, quae audiverant, opponere studuerunt. Quod tamen rem eo deduxit, ut opinio maximae partis auditorum de sermone Latino universali reddendo firmata esset.

# LAUDES LINGUAE LATINAE

in commercio virorum doctorum totius mundi restaurandae

UNICA DULCISONANS LINGUARUM LINGUA LATINA  
CUNCTARUM, ITALICAM PRAETER FACUNDA SORELLAM,  
SAEPE QUIDEM TOTO IAM MORTUA DICERIS ORBE,  
VIVA SED ES, VIVES UT GALLICA, VIVA VIGEBIS:  
TU GERMANA IOVIS SATURNIQUE ALTERA PROLES,  
QUAMDIU ADHUC MUNDI MOLES OPEROSA LABORAT;  
TE INVENERE DEI, CUM NUNC ALTARIA COELIS  
IN TERRISQUE TUO RESONENT MODULAMINE SUAUI.  
VOCE TUA STRUCTIS COELESTIA PABULA MENSIS  
DIVINAEQUE DAPES PER SAECULA CUNCTA SONABUNT.  
QUISQUE POLONUS ABHINC DISCAT DOCEATQUE POLONOS  
MELLIFLUAS LINGUAE VOCES VELUT ANTE PATERNAM;  
MOBILIS ARTICULET VERBORUM MUNERA LINGUAE;  
EDAT AMOENAM MELOS PLACIDUM ET SACRA LINGUA QUIRINI  
NON SOLUM LECHICIS, SED TOTIUS ORBIS IN ORIS!  
TOTAQUE IN HOC EST RES, UT ET ASSUESCAMUS AMORE  
ATQUE LABORE LEVI SERMONI TAM FACILI AEQUE  
AC PULCHRO, ET QUISQUIS SCRIBAT, SE EXERCEAT ORE  
SAEPE LOQUI LATIO, MELIORE VIA ET RATIONE  
QUAM FORSAN FIT NUNC, PUERO INCULCETUR AMORQUE  
DIVINAE ET STUDIUM LINGUAE. BONA CUNCTA VOLUNTAS  
CONFICIET; RELIQUUM PERSOLVET DOCTA MINERVA.

Vilnae, Non. Jul. MCMXXXVIII a.

Rod. Nowowiejski.

## NUNTII RECENTES

Ex Aegypto: Ex commentariis Parisinis q. i. „L'illustration“ (26.3.26) didicimus de statione radiophonico Cahirana auditiones Latinas haberi. Res est praeclara omniumque imitatione digna.

Ex Germania: In „Societatis Latinae“ fasc. supra laud. commentariorum Consilium D-ri Hermanno Weller'io victoriam certaminis poetici Hoenffiani, quod ab Academia Scientiarum Regia Batava quotannis committi solet, lingua Germanica gratulatur: nunc iam novies Weller nomismate aureo illustratus est praemii nomine; alterum Weller'i carmen „magua laude“ dignum aestimatum est.

Ex Hungaria: Multus erat usus linguae Latinae in Conventu Eucharistico, qui Budapestini habitus est. In „Iuventutis“ fasc. supra laud. legimus opus esse fasciculo separato qui cunctas orationes Latinas in Conventu habitas publici iuris facere velit.

Ex Hispania: In „Iuventutis“ fasc. 10 (ann. 22., Junio 1938) epistolam P. Jimenez'ii legimus ex qua didicimus commentarios g. i. „Palaestra Latina“ denuo editum irl. Omnibus notum erat priscum commentariorum moderatorem (P. Emmanuelem Jové C. M. F. a Rubris nefarie necatum esse (de qua re in Soc. Lat. fasc. 4., ann. 4., Dec. 1936 scriptum erat); nunc Josephus M. Jimenez C. M. F. Alabonae prope Zaragoza'm commentarios redivivos denuo editurus est. Quod bonum, felix faustumque sit!

Ex Italia: Tertium Certamen Publicum Sermonis Latini, quod ab Instituto Studiorum Romanorum commissum erat, m. Maio h. a. finitum est. Ex participum numero exque operum eorum varietate intellegi potuit notionem linguae Latinae etiamnunc vivae ab animis iuvenum Italorum doctorumque vivorum minime alienam esse.

# VIA DIRECTA

O praeclaram beate vivendi et apertam et simplicem et DIRECTAM VIAM!  
Cicero de Fin. I.57

Si rogas, quonam modo latine sit discendum, praesto est responsum—Disce utendo! Haec est via directa, qua et laboris et temporis fit compendium; nihil interest inter rem et inter verbum, nulla deliberatio „Quidnam significat hoc verbum?“ aut „Quid est nomen huius rei latine?“ Nam solvitur ambulando — videndo — tangendo. Deinde usque ab initio mutua est connexio inter rem aut actionem et sonitum verborum: ubi rem vides, subit sua sponte nomen, actio revocat verbum. Et fato deorum benigno, facilius est nobis linguae latinae doctoribus initium docendi quam ullarum aliarum linguarum doctoribus: nam quadruplex actio est vel catena actionum, simplex scilicet catena actionum naturalium, quae quasi histrio nes in scenam ducit discipulos, et eodem tempore exempla dat quattuor coniugationum grammaticalium — Surgo-ambulo-revenio-sedeo.

A. Surgo (et surgit).

Ceteri. Surgis (digito monstrantes puerum A. et eum intuentes).

Surgit (pollice monstrantes A., dum alius alium intuetur).

B. C. Surgimus (et surgunt).

Ceteri. Surgitis (ut antea).

Surgunt (ut antea).

Sic fallimus docentes! Nam dum pueri haec reiterant, meditantur praesens tempus indicativi activi quattuor coniugationum, ubi aliter linguae latinae omnino sunt ignari! Postea hoc est initium uniuscuiusque recitationis, et mox has formulas tam bene cognoverunt quam linguam suam nativam. Quandocumque nova verba discunt, eodem more recitant, cum gestu si fieri potest, et nova verba quasi aptant formae vel compagi iam notae.

Si nomen rei doces, dic: „Haec est sella“, tangens sellam, quod universi pueri voce repetunt, canentes „Illa est sella“, digito indicantes sellam. Eodem modo, ubi picturam monstras, aut ipse facis in tabula nigra: „Illa est arbor“ et pueri canunt „Illa est arbor“, „Ille est corvus“ — „Ille est corvus“.

Mox necesse est docere casus obliquos, primum accusativum: „Ille est corvus-video-corvum“. „Teneo baculum — do tibi baculum“. — „Das mihi baculum“, mox discent pueri respondere. Et dum doces, semper interponis explicationes, exclamationes, quae ipsae se explicant — „Bene facis! Obonum puerum! Bene dixisti! O stultum, O fons malorum, i in malam rem, I diirecte!“

Postea fabulam dicis, quam primum viva voce canunt, deinde scribunt in libellis et novae lectiones semper in tabula nigra scribendae sunt ab aliquo. Ita fit, ut discant audiendo, eloquendo, agendo, movendo se, scribendo, postremo videndo et omnes sesus vi sua coniuncta quasi incalcitrant animo.

Sic fit compendium temporis, compendium laboris, fit intentio animi, fit facilis memoria. Semper aliquid faciunt corporibus, se movent, nunquam torpent, non dormiunt nec fieri potest, quin gaudia percipiant multa, nam rident, commoventur, loquuntur, et est re vera ludus litterarius.

Longa est oratio, si plura tempto describere, sed stant vobis scripta Anglice, et si voltis, grammatici vestri doctissimi Polonice vertent.

Mihi autem Viam Directam indicanti nolite precor respondere — i dierectel!

*Cantabrigiae.*

*Valete.*

LEO ZAWADOWSKI

## PERIODICORUM CONSPECTUS

Multa periodica Latina variis orbis terrarum partibus eduntur. In Polonia praeter hosce commentarios hoc anno „Miles Immaculatae“ a Patribus Franciscanis edi coeptus est, ubi de rebus ad vitam Christianam pertinentibus tractatur. Dein „Iuventus“ quae Budapestini editur, commentarii optimi, qui imprimis iuventuti linguae Latinae studiosae necessarii sunt, sed omnibus usui maximo esse possint; tum commentarii, qui eduntur in Germania: „Societas Latina“ Monacensis et qui nuper edi coepti sunt „Der Lateiner“; tum quattuor fasciculi Latini, qui in America eduntur: „Auxilium Latinum“, „Nuntius Latinus“, „Internos“, „Vox Latina“; in Africa quidem editur Cahirae „Ephemeris Latina Aegyptiaca et universa“; Palaestra Latina“ vero Hispanica mox reviviscet, de qua re plura infra in Nuntiis recentibus invenies.

Maximi est momenti „Inventus“, qui commentarii et prodeunt satis crebro et res varias ferunt, quae ad omnes fere linguae Latinae amantes pertineant. Unicuique fasciculo pars inest: „Lectoribus minimis“, pars altera „Lectoribus mediis“, alia „Lectoribus maioribus“, quae tamen eae sunt, ut parte lectorum minimorum etiam maiores delectentur. Librorum recensio, Salse dicta, Nuntii recentissimi, Jocosa, Aenigmata, Gymnica, Res femineae, Aeronautica — hae fere sunt partes, quae vel fasciculo quoque, vel crebro saltem recurrunt. Fabula, quae per fasciculos continuata nunc finitur (fasc. 10. a. 1938) est „Caesarem a Cicerone hospitaliter exceptum esse“, quam Th. Birtii fabulam Latine narravit Aemilius Lang. Alia quoque feruntur opuscula vel commentaria bona Latinitate, utilia quaeque legentium animos alliciant.

„Almae Romae“ fase 7. (Julio 1938) commentarios historicos fert de exordiis urbis Romae, de Portiunculae templo apud Asisium; dein carmina „Leoni XIII“ atque partem fabulae scenicae, quae per fasciculos continuatur q. i. „Regulus“, auctore H. J. Collin, in Latinum conversa a V. Fehér. Tum notas de lingua tractantes: „De indefinitis“ atque „Ad renovandum linguae Latinae usum“, quod est genus glossarii verborum, quibus partes variae atque supellex curruum machinalium significantur. Eiusdem generis opus in „Societatis Latinae“ fasc. proximo (fasc. 2., Junio a. 1938) invenies q. i. Gymnica, ubi glossarii forma, nullo ordine rerum in singulis capitibus servato verba enumerantur quae ad varios modos corporis exercitandi pertinent: ad equitandum, natandum, batuantum, ad artem trahae nivalis, tabellarum nivalium etc.

# RECENSIO CINEMATOGRAPHICA

Sine ambagibus N. 40

## Mirabiles Casus Th. S.

Iucundissimus atque lautissimus liber „Mirabiles Casus Th. S.“, iterum atque iterum cuique sine dubio puero lectitatus, in interpretatione cinematographia ne tantillum quidem suae mirae gratiae amisit. Familiarissimi nobis pueri ac puellae ex oppidulo ad ripas Missouri sito, longo post tempore venerunt, ut nos viderent — tantoque iucundius est cum eis congregari, quanto facies eorum et heroicae contentiones iam magis magisque in animis nostris obliterabantur, Americana officina mundum magica arte ingenii Marci Twaini fictum pulchre ac suaviter variis coloribus depinxit et quod maximi momenti est, eos, qui optime omnes partes agerent, invenit. Nam in pictura mota liberi tam accurate vivos habitus exprimunt et agendo adeo animos nostros movent, ut ne adulti quidem histriones illis aemulari poterint.

Prosto z Mostu Nr 40

## Przygody Tomka Sawyera

Najrozkoszniejsza i najwspanialsza książka „Przygody Tomka Sawyera“, wielokrotnie czytana przez każdego w dzieciństwie, przeniesiona na ekran, w wersji filmowej nie straciła ze swego prawdziwego uroku. Dobrzy znajomi, chłopcy i dziewczęta z małego miasteczka nad brzegami Missouri, po latach przybyli, aby nas odwiedzić — spotkanie z nimi jest tym przyjemniejsze, że ich postacie i bohaterские wyczyny ulegały już stopniowemu zapomnieniu. Amerykańska wytwórnia pięknie, interesująco i kolorowo przedstawiła świat, wyczarowany przez fantazję Marka Twaina — a co najważniejsze, znalazła doskonałych wykonawców do wszystkich ról. W filmie bowiem dzieci grają tak wzruszająco i prawdziwie, że nie potrafiłoby im sprostać wielu dorosłych artystów.

J. K.

## KOMUNIKATY

1. Do Zarządu Towarzystwa Umiejędźnar. Łaciny należą: Prof. Dr T. Zieliński (prezes), Dr J. Wieniewski (wiceprezes), Prof. Dr M. Handelsman, Leon Zawadowski prof. gimn. (sekretarz), Fr. Banasiak redaktor (skarbnik), Fr. Baturewicz (literat), Dr J. Krzyżanowski.

2. Siedziba Towarzystwa: Warszawa, ul. Traugutta 3 m. 5. Pod tym adresem prosimy kierować wszelką korespondencję. Członkowie Towarzystwa mogą korzystać z księgozbioru Towarzystwa we wtorki, czwartki i soboty, godz. 17—19.

3. Prosimy Członków Tow. o uregulowanie składek członkowskich (5 zł. rocznie). Konto P. K. O. 26326

4. Zgłoszenia nowych członków prosimy kierować pod podanym wyżej adresem.

5. Polskie Biuro Międzynarodowej Korespondencji Szkolnej (Warszawa, Pałac Staszica, Krak. Przedmieście Nr 72) załatwia sprawy wchodzące w zakres wymiany listów między uczniami szkół polskich a uczniami w innych krajach — m. in. również w języku łacińskim. Dla zorganizowania korespondencji należy podać: nazwę i adres szkoły, klasę, wiek, imię i nazwisko ucznia (uczenicy), z jakim krajem chce korespondować, ew. jego (jej) zainteresowania. Szczegółowe informacje o międzynarodowej korespondencji szkolnej, jej organizacji i metodzie pracy oraz podaje bibliografię książeczka (43 str.) Zbigniewa Zaniewickiego p. t. „Międzynar. Koresp. Szk.“, wydana przez Polską Komisję Współpracy Intelktualnej przy Lidze Narodów, 1933 r.

